

Reverendes spectabiles dici ex demissa fidelitatum v[est]rarum sub 11^a evoluti mensis Maii submissa Repraesenta[ti]ones adnexisq[ue] tam Co[m]it[at]us Csongradiensis, quam etiam Ep[iscop]alis Consistorii Vacziensis relationibus de statu oratorii Szentessiensis hucusq[ue] per acatholicos Helveticae Confessionis tenti, pro cuius nimirum extensione, et repara[ti]one iidem supplices recurrerunt b[eni]gne informate sumus. Et siquidem recognoscentibus id et consistoris, et co[m]it[at]u, testibusq[ue] juratis etiam acatholicis fundate emeretur, oratorium illud, quo hucusq[ue] acatholici usi sunt, spectata tam moderna forma, quam etiam aliis per testes relatis vestigiis catholicum olim ecclesiam fuisse. Hinc b[eni]gne resolvimus, ne ejus seu reparatio, seu extensio supplicantibus acatholis admittatur, verum ipsis pro exercitio suae religionis locus alius numero, et necessitati populi sufficiens cum concursu Domini Terrestris per Co[m]it[at]um Csongrad[iensis] pro novo oratorio, et campanili ex fundamentis quidem propter frequentes ibidem exundationes lapideis, non tamen ultra unum, alterumve pedem extra superficiem terrae educendis, de caetero autem ex lignis, vel incocctis lateribus exstruendo assignetur, interea vero, donec novum illud oratorium aedificaverint, in usu moderni oratorii absq[ue] illa tamen ejus extensione, vel renovatione relinquantur. Ne tamen studiose aedificationem novi oratorii protrahant, tempus, quod ad perficiendum idem aedificium sufficiens videbitur, memoratus co[m]it[at]us designet, [fol. 30v] aedificato porro aedificio, modernum, quod habent, oratorium, velut palmaria Ecclesiae Catholicae vestigia praeseferens Catholico Ritu reconcilietur, et juxta opinionem etiam fidelitatum v[est]rarum tanquam filialis ad Szeghvariensem Ecclesiam applicetur, ac demum de ejus reparatione postquam catholicis resignata fuerit, modis per fidelitates vestras projectatis prospiciatur, ac si necessum fuerit, etiam ex Cassa Parochorum, facta tamen p[rae]vie eatenus Majestati Nostrae Repraesenta[ti]one succurratur. Ne deniq[ue] catholici seu jam in eadem possessione residentes, seu vero se illocare intendentes cum praejudicio Religionis Catholicae excludantur, aut vis, vel injuria ipsis quoquo modo inferatur, memoratus Co[m]it[at]us Csongradiensis auctoritate sua magistratuali prospiciat, et remedium ponat.

Quam b[eni]gnam resolu[ti]onem nostram fidelitatibus vestris, fine eo alter significamus, ut ea, quae ad effectum ejusdem in omnibus suis punctis pertinuerint, sua via, et loco intimare, et oportune disponere noverint, nec in termittant eadem fidelitates vestra. Quibus in reliquo etc. Datum Viennae die 26^a men[sis] Junii anno 1746.

Maria Theresia m[anu]p[ro]pria
C. Nicolaus Pálffy m[anu]p[ro]pria
Petrus Végh m[anu]p[ro]pria
coll.